





16.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> MEDICO-PRACTICA  
IN AVGVRALIS.  
DE  
**DOLORIBVS  
VENTRICVLI.**

QVAM  
EX DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA IVLIA  
PRAESIDE  
**DN. JOHANNE CAROLO SPIES**  
ARCHIATR. WOLFFENB. AC THERAPEVT. P.P.  
H. T. DECANO

**PRO GRADV DOCTORIS**  
OMNIBVSQVE PRIVILEGIIS ET JVРИBVS  
IN ARTE MEDICA RITE  
CONSEQVENDIS  
**IN JULEO MAJORI**  
D. II. MARTII A. MDCCXXXIV.  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PVBLICE EXAMINANDAM ATQVE VENTILANDAM  
EXHIBET

**HENRICVS T<sup>I</sup>LLEMANNVS STOCK,**  
RATISPO<sup>N</sup>ENSIS.

---

HELMSTADII,  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.

DISTRIBUTIO MELIC-HERALD  
PARIS

# DOCTORINAS PHINTRIGIANAS

ACADEMIAE ETATUARIAE  
SOCIETATIS ET CIVITATIS

LITERARIAE ET HISTORICAE  
ACADEMIAE ETATUARIAE

OMNIBUS QVOD SED  
ATQVE QVOD QVOD  
ATQVE QVOD QVOD



A. D. G. ET P. S.

## PRÆLOQVIVM.



X ventriculi labē plurimās ægritudines suam ducere originem, nulla indiget probatione; quem enim latet, afflīcto ventriculo mox universam corporis economiam diversas pati afflictiones? Quis nescit, ventriculum esse culinam totius corporis, qua bene constituta, laudabile suppeditari nutrimentum pro conservanda sanitate, læsa autem illa, generari cruditates, ansamque præberi gignendis morbis? Ventriculus itaque est quasi promus condus sanitatis atque morborum, illo bene se habente, bene plerumque se habet totum corpus, labefactato autem istius tono ac fermento, brevi lœduntur pleraque in corpore peragendaæ aëctiones. Bene itaque canit Quintus Serenus,

Qui stomachum Regem totius corporis esse  
Contendunt, vera niti ratione videntur  
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra;  
Isto autem læso privantur cuncta vigore.

Lœditur vero ventriculus interdum, ut vix videatur læsus;

A quan-

quando quidem in isto generantur vitiosi humores, ex quibus successive varii producuntur morbi, ipse tamen ventriculus ob initio parum vel nihil pati videtur, quamvis revera causam morborum suppeditet. Sed latitudo etiam saepe ita, ut pro parte primario affecta agnoscendi debeat, quando videlicet in illo ipso tragœdia inchoatur & absolvitur. Inter tales ventriculi afflictiones, quæ haud infrequentes, considerationem merentur dolores ventriculi, qui quo magis sunt molesti & saepe totam corporis economiam turbant, eo magis me adduxerunt, ut de ipsis in hoc Inaugurali specimine agere constituerim. Cum vero diversæ dolorum dantur species, a diversis causis provenientes, potissimum in certis Thesibus producere placuit, quorum brevem historiam, quantum animi vires concedent, sum delineatus, subiectando statim cuiusvis curationem. Faxis ter Optimus Maximus, a quo omnis bonus medela successus dari atque expectari debet, ut hoc meum institutum cedat in sui gloriam & Proximi salutem!

### TH. I.

**D**olor communiter definitur, quod sit tristis sensatio, in certa quadam parte excitata atque percepta, quæ a molesta fibrarum sensibilium vellicatione, crispatione, tensione, contractione, aut quomodounque id nominare volueris, inducitur, aut sicut communiter dici solet, a sensibili vel insensibili solutione continui excitatur.

### TH. II.

Dolor itaque ventriculi erit tristis sensatio, in ipso ventriculo a molesta fibrarum ictius vario modo excitata irritationē dependens. Est enim ventriculus pars membranacea, constans ex tribus tunicis, quarum exterior a peritoneo continuata reliquas ventriculi partes cingit; Altera seu media constat ex fibris crassis &

❀ ❀ ) ; ( ❀

& cænōsis, quarum beneficio ventriculus constringitur & contenta propelluntur. Tertia denique nervea, quæ vulgo interior seu intima vocatur & fibris varii generis est contexta ac maxime sensibilis existit. His addit Willisius quartam, crustam videlicet villosam, intimæ seu nervea tunicae adpositam, quæ est substantia spongiosa ac mucosa pluribus villis obsita. Hæc crusta villosa, inquit Willisius, post immersiōrem in aqua frigida facile separatur, & per se tunica satis firma & ab aliis distingue adparet. De reliquis partibus nihil dicam, sufficit enim hic loci dixisse, ventriculum constare ex membris fibris, quibus vario modo vellicatis, variæ eveniunt dolorum species.

### TH. III.

Dixi enim in præloquio, diversas dolorum ventriculi species in Praxi obvenire, quas nunc seorsim breviter perlustrare ac practice producere suscipiam. Acturus igitur sum 1. de dolore ventriculi torminoso colicam mentiente. 2. de dolore rodente & exedente. 3. de dolore acuto, fixo atque constante seu cardialgico. 4. de dolore urente seu soda aut ardore ventriculi. 5. de dolore gravativo. 6. de dolore distendente seu inflatione. 7. de dolore inflammatorio.

### TH. IV.

§. 1. *Dolor torminosus* est talis molesta fibrarum ventriculi distensio atque contractio, seu spasmodica crispatio, qua totus ventriculus adficitur & tristis sensatio inducitur, quæque non solum in ipso ventriculo percipitur, sed etiam per totum sæpe abdomen extenditur, dum in illo quoque torminosi lancinantes atque scindentes dolores sentiuntur, sicuti in colica fieri solet, unde isti dolores a nonnullis pro colica habentur, de quibus tamen D. Harris L. de Morb. Inf. p. 71. optime scribit, quod talis dolor falso nuncupetur colica, cum sit gra-

A 2

vior

vior ventriculi non intestini coli morbus. Et in hac diversitate partis affectæ vera diagnosis est quærenda.

§. 2. Exoritur talis dolor, quando humores biliosi ac riores facti regurgitant in ventriculum ac integrum internam istius tunicam acrimonia sua vellicant, ut spasmodyc distendatur ac iterum contrahatur, atque sic adeo enormes dolores excitentur, qui etiam per totum abdomen sepe extenduntur. Causa igitur horum dolorum non alibi quam in ventriculo est quærenda, & quidem proxime ac immediate in spasmodyca fibrarum ventriculi crispatione, materialiter autem in diætis humoribus acribus, molestam illam crispationem excitantibus.

§. 3. Combinatur iste dolor quandoque cum vomitu satis enormi, interdum vero sine vomitu excruciat; dolores quoque illi nunc sunt continui, nunc per intervalla recurrentes, semper tamen cum magna anxietate conjuncti.

§. 4. Duplicem horum dolorum historiam reensem laudatus D. Harris l. c. unam de illustri quadam Domina, quæ gravissimo ventriculi dolore & importuna vomitione, alternis fere septimanis redeunte, per plures annos laboravit; alteram de illustrissimo quodam Barone, qui ventriculi dolore & viscerum torsionibus diu fuit excruciatus; utraque vero historia docet, quod isti dolores a cruditatibus in ventriculum regurgitantibus sint producti, dum medicamenta, quæ fuerunt adhibita, quorumque beneficio isti dolores profligati, ita sunt comparata, ut humores noxios in ventriculo hærentes blande evacuarint.

§. 5. Ejusmodi autem dolor ventriculi non est sine periculo, omnino enim metuendum est, periculosam imo lethalem supervenire posse ventriculi inflammationem, nisi causa irritans mature removeatur.

### *CVRATIO.*

§. 6. Quando igitur contingit, ut quisquam ejusmodi dolore plus minus gravi, continuo, aut sèpius reverente sit afflictus, illud præcipue erit agendum, ut materia pec-

peccans h. e. humores biliosi acres 1. evacuentur, 2. corrifiantur, si forsitan post factam evacuationem dolores adhuc sentiantur, ut omnis spasmatica crispatio tollatur.

§. 7. Evacuandi fine in hoc casu tuto dari possunt *Emetica blandiora* v. gr. *Ipecacuanha cum arcane duplicato*, nec obstat, et si jam urgeant vomitiones; vomitus enim bene curatur per vomitorium, si materia vomitum excitans haeret vel colligitur in ventriculo. *Antimoniata* etiam, ut *tartarus emeticus*, *syrupus emeticus*, *antimonii sulphurauratum* &c. quamvis videantur efficaciora, absque meru dari possunt, citio enim contenta ventriculi eliminant & sape una vice totam omnium dolorum radicem funditus extirpant.

§. 8. Evacuandi intentione etiam inserviunt ac utiliter exhibentur *purgantia leniora*, ac inter illa praesertim 1. *Rhabarbarum* in forma pulveris cum materia perlata Crügneri, aut in forma infusi cum decocto tamarindorum & cremore tartari paratum. *Simplicissimum rhabarbari infusum* absque ultra additione cum aqua pluviali aut alia destillata factum sufficere potest, si aliquot auroris propinatur. Magis compositum rhabarbari infusum ordinavit D. Harris suæ illustri ægrotæ, quæ gravissimo ventriculi dolore & importuna vomitione laboravit, quo primum sèpius, postea rarius usurpat, ventriculus illius ab omnibus symptomatibus est liberatus & Domina absque aliis medicamentis convaluit. Per tincturam rhabarbari in Pharm. Bateana descriptam & coquileatim sumtam liberatus quoque est Illustris Baro, qui ventriculi dolore & viscerum torsionibus diu fuit excruciatus, sicut haec ita refert D. Harris. Non quoque sine spe felicis successus in hac dolorum specie evacuandi fine adhiberi potest 2. *Magnesia alba*, medicamentum sicut lenissimum ita tutissimum & ad humores bilioso-acres fine tumultu removendos aptissimum, ex cuius usu nulla unquam noxa est metuenda, sed potius optimum auxilium expectandum. Egregia certe hunc medicamento inest virtus, quam

A 3

D. Wer-

## 6 ( 6 )

D. Werloschnig in Curationibus Verno-Autumnalibus, ut & D. Præses in Colleg. Mat. Med. & Colleg. Pract. aliisque celebriores Pract. multis explicant verbis, quamque ego in diversis casibus sum expertus, ut pro certo habeam, in hoc & similibus malis vix melius reperiri remedium. Tandem evacandi scopo inservire poterit 3. Sal Catharticum amarum seu Ebeschamense, quod etiam absque omni molestia sive torminibus cito ac tuto operationem absolvit. Solvitur autem illud in conveniente dosi cum aqua chàmomillæ & pro lubitu additione aliquujus syrapi edulcoratur.

§. 9. Præter hæc diæta evacuantia nullo alio indigemus ad removendam materiam peccantem, quæ diæti doloris terminosi causa existit, & remota sic causa, procul dubio evanescent effæctus.

§. 10. Quod si tamen contingeret, ut administrata evacuatione spaftici dolores sentirentur, plenariam tranquillitatem breui inducere poterimus, si antispasmodica & temperantia cum anodynæ, in quorum tamen dosi non excedendum est, aliquoties exhibemus.

§. 10. Laudare hunc in finem possum pulverem refri- gerantem D. Praefidis cum cinnabari nativa vel antimonii & laudano hysterico miscendum ac mane & pomeridie exhibendum. Inserviunt quoque pro ista intentione bezoardum joviale, minerale, martiale, Materia perlata Crügneri, Crystallus mont. ppt. &c. cum cinnabari, arcano duplicito & laud. hyster. combinanda. Item Massa pilul. de cynogl. cum extracto castorei, cinnabari antimonii & bezoard. joviali socianda. Theriaca Androm. cum sulphure antimonii fixo aut mercurio vita bezoardico. Emulsiones ex femine melonum & papav. alb. cum materia perlata Crügn. Essentia ca- storei & spiritus salis ammon. martialis cum vel sine essentia anodyna.

§. 12. Externe simul adhiberi potest fæcculus ex mentha, absinthio, rosmarino vino incoquendus & calide adpli- can-

candus, si prius regio ventriculi probe injuncta est unguento pomato, cui parce admisceri possunt balsamus Peruvianus, ol. dest. Absinth. &c.

## T H. V.

§. 1. *Dolor rodens atque exedens* est talis tristis sensatio in ventriculo, qua percipitur molesta & quasi manifesta morsitatio, rosio vel exesio.

§. 2. Provenit autem ejusmodi dolor potissimum 1. a Vermibus vel insectis in ventriculo contentis. 2. Ab acido nimis activo, quale quid obcurrit in Adpetitu p. n. bulimia videlicet & adeptentia canina, quo etiam referri potest inedia 3. a venenis mineralibus.

§. 3. Dolor rodens atque morsitans, a vermis originem ducens, percipitur praecipue jejuno ventriculo, sumtis autem cibis mitescit & plane cessat, atque sic talis dolor non est continuus, sed per intervalla sentitur, interim tamen satis vehementis existit. Vermes enim in ventriculo harentes pabulo destituti jejuno ventriculo ipsam ventriculi substantiam adgrediuntur, illumque rodunt ac mordent, quarentes alimentum, sumtis autem cibis, succo istorum magis delectantur & in illo melius nutrimentum reperiunt, hinc dum rosio & morsio cessat, dolor quoque mitigatur vel evanescit. Si itaque dolor in ventriculo percipitur cum sensu rosionis & morsionis, qui jejuno ventriculo sumit incrementa, a sumtis cibis vero, praesertim si dulcem præbent succum, mitescit, imo plane evanescit, suspicari licet, hærere in ventriculo vermes, huncce dolorem excitantes, præcipue si alia quoque signa vermium præsentiam confirmant.

§. 4. Contingere autem aliquando ventriculi dolorem a vermis in illo contentis, testantur observationes Præticorum, quarum diversas hic inserere possem, si brevitatis scopus id permetteret, interim non possum intermittere, quin unum

unum vel alterum addam. Ita D. Chesneau in Observ. p. 314. facit mentionem doloris rodentis ventriculi cum vomitibus per intervalla accidentis, qui sublatus est cataplasmate ex fermento & succo menthae, regioni ventriculi adplicato, unde sex vermes per vomitum sunt ejecti & ægrotus ab omni ulteriori molestia est liberatus. Sic haud absimilem casum notavit D. Præses, qui aliquando filiam alicujus venatoris habuit curandam, gravissimo dolore ventriculi mordicante per intervalla excruciatam, quæ tandem duas lacertas digitum longas vomitu rejecit, quibus eliminatis, omnis dolor evanuit. Puer decennis admodum macilentus insigniter tamen vorax magno semper ejulatu querebatur de dolore rodente atque morsicante sub epigastrio, qui a nullis cibis mitesceret, quam ab assumto lacte, variis itaque frustra tentatis, lac cum radice bryoniae coctum largiter propinabatur, hinc vermen dimidiæ ulnae evomuit, atque sic brevi pristinæ sanitati est restitutus.

### CVRATIO.

§. 5 In hac dolorum specie vermes vel insecta ventriculi enecari & expelli debent. Conveniunt igitur hic omnia, quæ alias sub vermium cura propinari solent, ut autem meo proposito satis faciam, quædam efficaciora contra vermes ventriculi a Practicis commendata adneætere placet.

§. 6. Enecant itaque vermes ventriculi succus scabiosæ & nasturtii aquatichi per se ad duas vel tres uncias exhibitus. *Pulvis contra vermes Timæi* a guldén Klee in Oper. pract. p. m. 226. & 376. descriptus, ut & arcanum contra vermes ejusdem p. 749. delineatum, quod utrumque D. Præses bono cum successu adhibuit. *Pulvis contra vermes ex lap. bezoar & mercurio dulci* a D. Lentilio in Mischell. exhibitus. *Æthiops mineralis* a D. Harris tantopere laudatus. *Mercurius vivus* cum saccharo tritus & cum conserva flor. perficor. deglutitus. *Oleum expressum nucleorum perficorum* ad uncias duas vel tres datum. *Extractum bryoniae cum mercur.* dulci *Elixir proprietatis sulphuratum* &c.

&c. quæ omnia justo modo ac tempore exhibita multum va-  
lent ad enecandos & propellendos vermes.

§. 7. Enecant & expellunt *dictamnus albus*, cuius pulve-  
re Kentmannus ultra triginta lacertas ab ægrote expulit, quod  
refert Marold. Pr. Med. p. 429. *Radix Bryoniae*, quæ teste  
Freitagio in Aur. Med. L. 2. c. 37. specificie adversatur vene-  
natis bestiolis & vermis in ventriculo genitis. *Succus rad.*  
*bryoniae*, quo Clauderius virides bufones in magna quantitate ex  
feminæ cujusdam ventriculo ejecit, quod recenset B. Mich.  
Not. ad Schröd. Pharm. *Syrupus ex succo bryoniae* & *Decoctum*  
*rad. bryon.* recentis cum laeti factum quibus D. Preses feliciter usus.  
*Scammonium sulphuratum* cum mercurio dulci a D. Cheyne in  
obseruat. summopere laudatum. *Infusum ex rad. dictamni al-*  
*bi*, *filicis*, *gentianæ*, *summit. tanaceti*, *centaur. min. flor. hyper.* &  
*perficor. cum rhabarbaro.*

§. 8 Externe etiam utiliter adhibentur *Unguentum contra*  
*vermes Pedemont.* a D. Chesneau l. c. productum. *Unguentum*  
*contra vermes Timai* l. c. descriptum, *Emplastrum anthelminti-*  
*cum* ex aloë, felle tauri insp. mercurio vivo, pulpa colocynthi.  
& ol. tanaceti. *Cataplasma ex marrub.*, abrot., tanacet., car-  
diaca, hyper., stoech. citr. farin, lupinor. ol. spica, absinth. &  
tanaci, quæ omnia regioni epigastricæ adiplicanda.

§. 9. Præter vermes ejusmodi dolor rodens quandoque etiam  
inducitur ab ACIDO nimis activo & quasi caustico, quale quid  
occurrit in Adpetitu canino & Bulimo, ubi sape quam maximi  
percipiuntur dolores rodentes lipothymiam inferentes. Hujus  
assertionis confirmationem tradit Swalve Querel. & oppr. ven-  
tric. p. 38. ubi scribit: *Spiritus acidus ventriculo congenit illi-*  
*que inhospitans est causa adpetitus naturalis & recte vocatur*  
*famelicus*, quando nunc hic spiritus acidus nimium augetur  
vel acutatur, vellicatio, rostro & morsitatio in membrana ven-  
triculi eo magis excitatur, ut vere dolorificus percipiatur ad-  
petitus, ita ut quandoque lipothymia superveniant, donec  
ingestis cibis illud acidum nonnihil saturatur & dolor ad exi-

§. 10 Temperant & obtundunt acidum ABSORBENTIA, quæ acidum prædominans inbibendo istius activitatem tollunt, ut *Pulvis contra sodam D. Praefidis*, absorbens Wedel. aliisque simplices & compositi. *Limatura martis* & reliqua martialia per accessum acidi nondum saturata. AMARA, quæ partibus suis sulphureis acidum infringunt, ut extracta & essentiae gentian, absinth. &c. SPIRITVOSA SVLPHVREA, quæ acidum suo modo dulcificant. quale quid contingit cum spiritibus acidis, mediante spiritu vini dulcificatis. quamvis talis dulcificatio exigui sit momenti. SPIRITVOSA SALINA, ut spir. salis ammon., sal, volat, oleos. SPIRITVOSA DVLCIA non-nihil pinguis, vt vinum Hispan., Alicant. AQVEA & præsertim particulis oleosis nonnihil imprægnata, quæ diluant & obtundunt. ut Aqua contra Bulimiam ex mentha, salvia & absinthio destillata. AQVEO OLEOSA, ut Emulsiones amygdalinae. OLEA Expressa. v. g. lini. amygdal. dulc. nucifæ. OLEA DESTILLATA menth., salv., macis. ANODYNA reliquis pro necessitate parce addenda, vel sola theriaca cum aqua contra bulimiam exhibita..

§. 11. Quando autem acidum ventriculi per dicta non-nihil mitigatum est, bene datur EVACVATIVVM, & quidem omnium optime *Magnesia alba*, aut *Pulvis solutivus Tim.* vel *Pilula contra bulimum Forest.* Postea reiterentur per aliquot dies brevi ante enumerata acidum temperantia ac obtundentia, & denovo evacuativum, atque sic ulterius, donec vitiosum acidum plane victum.

§. 12. Commode etiam hic adnectitur dolor ventriculi ex inedia, quem quisque experitur, si diutius justo a capiens cibis abstinet, unde *Swalve I. c.* istam rectissime pronunciat noxiām. Hujus quidem doloris curationem non facile petent & expectabunt a Medico, contingere tamen potest, ut spiritu ventriculi acriore & acidiore facto, dolor mortifans per-

perseveret, quamvis alimenta fuerint assumta, atque tunc  
Medici expectatur auxilium, quod ferri poterit per absorben-  
tia §. 10. enumerata.

§ 13. Venena mineralia manifestam continent acrimo-  
niam erodentem, quæ, quamprimum ventriculo ingeruntur,  
illico molestissimam rosionem & exsolutionem atque acerbissimum  
dolorem excitant, mox totam ventriculi substantiam corro-  
dunt & gangrenam ac totalem necrosin causantur. Hoc in  
casu, si Medicus statim accersit, utilissime excitatur vomitus,  
vel per sola oleosa, vel per ipecacuanham cum ol. amygd.  
dulc. exhibitam, quo peracto, frequenter reiteretur dictum  
oleum recenter expresum & ad duas uncias cum crystall. pp.  
dr. j. pro vice exhibeatur, donec omnis rosionis sensus fuerit  
sublatus.

## TH. VI.

§. 1. DOLOR CARDIALGICVS, Cardialgia, Cardiog-  
mus, & Plinio Rosio stomachi dictus, magnam cum priori ha-  
bet analogiam, & est dolor acutus, fixus & constans quam  
maxime sub scrobole cordis in superiori ventriculi orifi-  
cio perceptus, cum magna anxietate & inquietudine. Cardi-  
algia, inquit Camerarius Syft. Cautel. Med. p. 317. est ventri-  
culi dolor, ardores, rosiones, vellicationes, dolores gravati-  
vos, constrictorios, laciniantes, aliasque species sub se compre-  
hendens; sed mihi hoc loco strictiori sensu venit, sicut ex  
data definitone est cognoscendum.

§. 2. Ventriculus itaque hic adfigitur, ac præsertim su-  
perius istius orificium, quod alias sinistrum vocatur & pro-  
pter concursum fibrarum nervearum, sicut Anatomici volunt,  
admodum sensibile, judicatur. Vi voce quidem cardialgia  
denotat dolorem cordis, sed cor primario non afficitur, per  
consensum tamen simul pati videtur. Veteribus autem supe-  
rius orificium ventriculi dicebatur cardia & hinc acutus ille

dolor atque morsus illius vocatur cardialgia. Imo nonnulli centrale animæ domicilium collocant in hoc ventriculi orificio, quia primi motus sive impetus circa illud contingere dicuntur, dum, quoties quis premitur angustiis corporis & afflictionibus mentalibus, circa orificium stomachi pergrave onus sentiri perhibetur, sicut ita differit Musitanus, cui tamen ex omni parte minime subscribo.

§. 3. Dolor iste interdum est levis sed tamen satis molestus, interdum vehemens, ut quandoque lipothymiae accedant, prout nempe minor vel major tensio & crispatura aut quasi erosio vel excoriatio in orificio sinistro contingit; sic etiam alia cardialgia dicitur humoralis vel flatulenta; Alia quoque vocatur primaria, idiopathica & essentialis, alia secundaria, symptomatica & accidentalis; alia ratione materiae a bile, alia ab acido provenire judicatur.

§. 4. Causa proxima huius doloris est acuta atque pungens, rodens & lancinans superioris ventriculi orificii vellatio seu crispatura, vel ut Blankardus scribit, morsus, rosio aut contractio nervi paris vagi stomacho inserti.

§. 5. Causa materialis locata est in humoribus sive acidocorrosivis, sive bilioso-acribus, qui in vapores resoluti cardialgiam flatulentam constituant. D. Nenterus existimat, quod oriatur vel a sanguine circa ventriculum congesto, (quod tamen vix admitti poterit) vel ab humoribus acribus flatulentis in ventriculo contentis, (quod omnino verum.)

§. 6. Occasionaliter induci potest a venenis assurmis, verbis ventriculi, febris malignis & intermittentibus, nec non a nimis abterso orificio ventriculi, de quo D. Lentilius Eteodr. p. 177. ita scribit: „Cardialgiae causa haud raro est peristroma ventriculi abrasum a quaunque causa, unde paries eius internum velamine suo nudatus & ob substantiam membranam maxime sensibilis, impune nihil, quod adsumitur, sufficit, si aliqua qualitate excedit, praecipue vero orificium eius supernum adstringitur, ob nervos sexti paris hoc orificium cingens.“

gentes; vidimus eo rem processisse, ut ne juris calidiusculi  
unicum cochlear sine dolore & subsequente vomitu sumi  
potuerit.

§. 7. Quo major sentitur dolor, eo major peccat acrimonia corrosiva, si vero mitior percipitur dolor, acrimoniam visciditatem quadam involutam esse, judicari poterit, flatulenta ex ructibus acribus cognoscetur.

§. 8. Hicce dolor, sicut est valde acutus, ira non semper vacat periculo, præsternit si iam diu duravit, aut quoque si morbis acutis supervenit cum singultu quo in casu utplurimum funestum minatur exitum. Quæ autem ab assumptis oritur, quaeque cum paroxysmis febrium intermittentium conjuncta, haud adeo est periculosa, quamvis sit insigniter molesta.

§. 9. Curatio consistit in eo ut humores acreidine sua orificium ventriculi vellicantes evacuentur aut saltim illorum acrimonia enervetur & sensus doloris mitigetur; Quod si a peculiari quadam causa oriiri videatur, isti adæquatis remedii peculiariter est medendum.

§. 10. Ad humorum evacuationem, si actu in ventriculo harent & continuum fere dolorem causantur, utiliter exhibetur EMETICVM, quo cito excernuntur quæ in ventriculo harent & acreidine sua orificium istius vellicant. Elixi itaque pro hac intentione possunt vel Ipecacuanha cum antimonio diaforetico nitroso, vel Syrupus emeticus cum ebore fine igne.

§. 11. Evacuandi fine etiam inserviunt, quæ per inferiora blandam excretionem efficiunt, ut Syrupus ex succo herbae mercurialis cum syrupo rhabarbari; vel Magnesia alba cum emulsione semenis melonum exhibita; vel Infusum rhabarbari simplex cum syrupo violarum solutivo mistum.

§. 12. Hinc ad enervandam homorum acrimoniam & mitigandum sensum doloris, absorbentia & antispasmodica cum antidynis, si dolor urget, exhiberi debent, quæ quidem etiam in-

terdum ante evacuantia per unum vel alterum diem dari possunt, v. g. ex compositis Pulvis absorbens Wedel. & Præfidis, contra sodam Horst. temperans Nenter., species Diacreæ Myns. ex Simplicibus testæ concharum, austrearum, medulla faxorum, terræ sigillataæ, crystallus pp., lac luna &c. ex chemicis bezoard. minerale, martiale, joviale, antimonium corallo-perlatum Fabri &c. quibus cinnabaris antimonii, castoreum, theriaca cœlestis. Mil. de cynogl. in debita dosi addi possunt, præsertim vero versus noctem omnium optime exhibentur anodyna, si autem dolor valde urget, etiam de die in parca dosi eadem aliis admiscere licet, aut saltem papaveracea. Bene imo utilissime ad obtundendam acrimoniam dantur mucilaginosa, v. g. mucilago sem. cydon. & psyllii mediante aqua malvæ extracta & cum syrupo plantaginis aut Dialth. mista, cui pro necessitate ad magis mitigandum dolorem addi potest pulvis anodynus confortativus, atque sic per vices cochleatim sumitur. Mulcilago hordei excorticati coctione parata & cum syrupo papaveris exhibita vile quidem sed valde proficuum est remedium. Decoctum ex radic. alth., plantag. verbasc. malv., ras. ebor. & C. C. per brevia intervalla tepide & parce haustum multum valet. Pilulæ de cynogl. cum bez. jovial., castor. & cinnabari antimon. egregiam adferunt opem.

§. 13. Si præsertim a bilioso-acribus provenire videtur humoribus, potio ex aqua & syrupo portulacæ cum crystall. mont. pp. cochleatim dari potest, quo in casu etiam conserva acetosella & alia aciduscula tententur.

§. 14. Si a vaporibus & flatulentiis acribus dependet, Potio carminativa Sib. cum fructu dabatur, nec non Decoctum nucis moschatae cum vino factum a Stockero laudatum, ut & Oleum defillatum carvi a Thonero, vel oleum dest. chamom. a Schamsky commendatum, vel Effentia chammon. Rom. comp. D. Præfidis, cum essent. castor. & anod. permiscenda, cui decoctum chamom. vulg. calidiuscule superbibendum.

§. 15.

§. 15. Si a nimis denudato seu absterto ac fere excoriato ventriculi orificio continuus fere dolor percipitur, *Mucilago* a D. Lentilio in Eteodr. p. 178. descripta ter in die exhibeatur cochleatim, vel *Mucilago* sem. *psyll. cydon.* & *gummi Arab.* cum decocto rad. plantag. & verbasc. parata & syrupo de siliquis edulcorata ; it. *Gelatina ex ebore*, C. C. & *ichthyc.* Parata cum syrup. plantag. & papav. err. *Pabuts ex rad consol.* maj., alth. *gumm. Arab. Mil. de cynogl.* & *sach. penid.* concinnatus & cuspidatim sumtus.

§. 16. Si a vermisbus aut venenis præcipue dolor in sa-  
pe dicto orificio excitatur, ut inde oriatur cardialgia, eadem  
in auxilium vocantur, quæ jam in Thes. præced. §. 6. 7. & 13.  
sunt enumerata.

§. 17. Si paroxysmis febrium intermittentium jungitur,  
& removenda & temperanda est humorum acrimonia, per  
superius §. 9. & 11. producta.

§. 18. Si febribus malignis supervenit, *Pulvis ex bez.*  
*miner. castor. cinnab. nitro. camphor.* & *theriac. cælest. bis* vel ter  
in die exhibitus egregiam adserit operem. *Decoctum ex rad. scor-*  
*pon. tarax. bardan. plantag.*, & *ruf. ebore.* ac CC. utilissime inter-  
ponitur. *Oleum scorpionum cum camphora mistum scrobiculo cor-*  
*dis cum fructu illinitur.*

§. 19. Externe alias laudatur oleum coctum absinth. &  
lumbri. terr., it. ol. liliol. alb. & femin. hyosc. cum campho-  
ra, it. linimentum balsamicum Lentil. I. c. p. 283. descriptum,  
qualia scrobiculo cordis vel inungenda vel imponenda. Sed  
nimis fere prolixus fui in recensendis contra cardialgiam re-  
mediis, dum autem practica consignare constitui, Practico-  
rum euporista producere licebit.

## TH. VII.

§. I. DOLOR VRENS vel ARDENS, hinc ARDOR VEN-  
TRICULI & aliis SODA vocatus, est dolor cum ardore, ex  
ven-

ventriculo per totum oesophagum usque in oris cavitatem ascendens, in quam quandoque non nihil liquoris acidissimi aut acerrimi effunditur.

§. 2. Malum hocce admodum frequens est & interdum solum impleto ventriculo a variis assumtis, quandoque autem etiam jejuno ventriculo insignem creat molestiam, unde ex relatione patientis, qui molestum illum ardoris sensum experit, facillime cognoscitur.

§. 3. Causa proxima est eructatio seu elevatio liquoris acido-acris per oesophagum usque in oris cavitatem a contraktione ventriculi inducta, quando videlicet in ventriculo talis liquor continetur & contractione ventriculi ad oesophagum propellitur, non potest aliter fieri, quin peregrina sua acreidine in eodem ac praesertim supraem istius parte uertionis seu ardoris sensum causetur. Schamsky & Blankardus accusant effervescentiam acidi vitiosi cum alcali pingui & oleoso seu particulis sulphureis. Verum si effervescentia talis contingeret, sensus ardoris statim in ventriculo perciperetur, quod tamen rarissime sentitur.

§. 4. Causa materialis igitur meo iudicio est acidum prædominans & quasi volatiliatum, quo præsente facili negotio a causa occasionali excitatur & concurrente ventriculi contractione ad gulam eructatur. D. Woyt in Gazophyl. pro causa agnoscit acrimoniam bilioso-volatilem ex chylificatione relataam, ansam vero præbere inquit, cibos acres atque pingues, si vinum vel vinum adustum simul bibitur. Platerus etiam bilem præcipue accusare videtur, dum in Prax. T. 2. c. 2. profert, se aliquoties in sectione cadaverum obseruasse, quod in illis, qui continuum ventriculi ardorem sunt perpetui, ventriculus illa parte, qua vesicula fellea incumbit, extus & intus colore bilis fuerit infectus, ac inde judicat, continuum ardorem a bile suam duxisse originem. Verum ex eiusmodi phænomeno haud firma formari potest conclusio, neque etiam satis probari poterit, bilem si bi

bi relietam absque concursu acidi adeo acrem fieri posse, ut eiusmodi ardorem seu dolorem urentem caufari queat, quod forsan mecum fatebuntur, qui bilis naturam & inde provenientes effectus penitus inspiciunt. Nec demum pro bile, tanquam causa sodæ, militar quorundam putatitia experientia, dum prohibent, sodam quandoque sedari posse per acida, quem enim latet, acidum per acidum præcipitari, nonne hoc in chimia notum? Licet autem foda interdum per acetum vini aut alia acida sedetur, pro vera tamen cura haberi nequit, sed tantum pro temporanea suppressione, ex qua nihil boni expectari potest, quod notabili observatione, quam D. Praehac de re in Colleg. Pract. recentuit, demonstrare possem si scopus brevitatis id permitteret. Sicut igitur foda acidis funditus tolli aut constanter abigi nequit, alcalinis autem perfecte profligari potest, ita concludere licebit, sodam potius ab acido quam bile suam habere originem. Per experientiam quoque scimus, sodam ab assumtis acidis facilissime excitari, quod quamplurimi in semetipsis experiuntur, qui acetariis aliasque acidis ac vino acidiore delectantur. Quidquid autem sit, sive pro causa sodæ agnoscatur acidum volatile sive bilem volatile acrem, sive utriusque concursum ac effervescentiam, eo tamen in cura semper est respiciendum, ut effectus h. e. ardor tollatur.

§. 5. Dum hæc ita consignavi, obfertur dissertatio inauguralis de Ardore Ventriculi, Praefide celebrissimo D. Bergero A. 1714. Vitebergæ habita, in qua ex mente laudati Viri de variis Ardoris Ventriculi differitur causis ac Th. VI. dicitur: *non esse mirandum, quod Scriptores de causa non convenient, quo magis usu constet, ventriculorum disparitatem non nisi experientia disci & differentes causas ac qualitates humorum speccantium non semper esse cognitas, hinc pro causa morbisifica habetur quævis materia fermentescens ac vaporosa, ventriculum gulamque urere apta, quæ utique tam indole, quam mole, graduque varia esse potest.* Tandem autem

C

Th. IX,

Th. IX. additur: "solum acidum hic perrato peccat, sed nunc  
 ,cum acrimonia alcalica, nunc biliosa, nunc pingui & oleosa,  
 „aliamque apta materia luētans & congregiens. Sed hisce meæ  
 sententiæ minime contradicitur, quamvis ita videatur, certum  
 enim est, ardorem ventriculi in diversis hominibus a diversis  
 quidem rebus, v. g. pinguibus ac præcipue cum lardo assatis  
 aut cum butyro nonnihil rancido frixis, ac multis aliis sale  
 quodam acri aut principio sulphureo inprægnatis excitari, u-  
 bique tamen acidum subesse vel exinde patet, quod frequen-  
 ter lympha acida in os eructetur, stuporem dentium inferens  
 ac relinquent. Nonne in quavis aut saltem pleraque mate-  
 ria fermentescente agnoscit debet acidum? Nonne Th. IX. a  
 laudato Bergero aperte docetur, acidum cum materia alcali-  
 ca biliosa &c. congregiens & luētans peccare? Hinc acidum  
 pro causa radicali erit considerandum & in curatione destru-  
 endum.

§. 6. Curatio igitur optime peragitur, si acidum volatili-  
 satum & acrius factum saturatur ac enervatur, & per inter-  
 valla evacuatur, sic vera & constans ardoris abolitio impetra-  
 bitur.

§. 7. Bene itaque ad saturandum acidum adhibentur ab-  
 sorbentia sub cardialgia jam enumerata, quibus addi potest  
*Pulvis contra sodam D. Præsidis multoties probatus. Lapidæ*  
*caucrorum solitaria assumti multis sunt proficui. Morfili dia-*  
*creta Myns. ab autore magnopere laudantur. Oriza crude ma-*  
*sticata et deglutita erat cuiusdam Pharmacopœi euporiston. A-*  
*cidum quoque eneruant LIQVORES SALINII VOLATILES;*  
 v. g. *Spir. salis ammon & sal volat. oleof. quibus D. Præses in se*  
*ipso ac diversis aliis diversi temperamenti subiectis perfectissi-*  
*mime abegit sodam. Obtundunt denique acidum DVLCIA*  
*VISCOSA, ut filiqua dulcis comesta; succus liquiritia in ore vo-*  
*lutatus ac deglutitus! Conserva malvæ; Syrup. de filiquis &c.*  
*It. MVCLJAGINOSA ET GVMMOSA quorum sub cardialgia*  
*fa.*

facta est mentio; nec non AQUEA diluendo, inter quæ de  
coctum granor. coffee hud ultimo locandum.

§. 8. Qui bilem in specie prædominium gerere autumant laudant remedia ex portulaca, it. pulveres nitrosos, crystallum pp. &c. quæ quidem etiam acidum obtundere valent. Com mendant etiam acida, quæ pro lubitu tentare possunt. Zac. Lusitanus singulariter laudat syrum aurantior, acidor. Sed mihi pro cura soda rara erit commercium cum acidis.

§. 6. Experientia constat, sodam frequenter exoriri post comedea pingua, si videlicet ingeruntur ventriculo, ubi vi tiosum acidum adest, hæc soda autem mox compescitur, si spiritus vini gallici ad duo vel tria cochlearia super ingeritur, eujus effectus multiplicem experientiam notavit D. Praeses, qui judicat, acidum in ventriculo congregiens cum pinguibus & molestas eructationes inducens mitigari & quasi dulcificari per spiritum vini. Non itaque video, quare D. Woytl. c. dixerit, sodam excitari, si vinum adustum pinguibus cibis superbibatur.

§. 10. Euacuandi fine convenientissimum remedium est Magnesia alba quæ in destruendo ac simul evacuando acido prædominante nullum superius agnoscit remedium.

§. 11. Ad præservationem, si quisquam sodæ est obnoxius, multum valet Sal volatile oleosum vel spiritus sal ammon. si unum vel alterum singulis aut alternis diebus brevi ante pastum ex aqua frigida assumitur. Huic intentioni quoque inservire potest Siliqua dulcis frequenter comedea. Qui vero præservationis causa pulveribus terreis frequenter utuntur, ventriculo haud bene consulunt.

§. 12. In diæta bene vitantur acetaria & alia acida, acria, pinguia. Vinum acidius facile excitat sodam, mellita & fac charata sæpe augent malum; motus corporis v. g. equitatio & vectio, nec non fumigatio tabaci statim post pastum in dis positis facilissime inducit sodam.

## TH. VIII.

§. 1. DOLOR GRAVATIVVS ventriculi est molestia in ventriculo percepta, ac si quoddam pondus in illo hæreat, quod premendo ventriculi fibras dictum dolorem causatur ac commuinter cum sensu frigoris est coniunctus.

§. 2. Hicce dolor percipitur tam jejunio ventriculo, quam potissimum post ciborum ac potus assumptionem, tunc enim valde augetur & per aliquot horas durat, tandem vero iterum mitescit, sed nunquam plane evanescit. Talem dolorem notavit Præses in juvene, a nativitate pro potu ordinario aquam fontanam crudam bibente, cibosque crudiores ac duriores comedente, unde successive ejusmodi dolor est inductus, qui magnas creavit molestias & tantam ventriculi frigiditatem, ut etiam exterius imposta manu sentiri potuerit.

§. 3. Causa hujus doloris nihil aliud videntur, quam cruditates viscidae & nimis frigidæ, quæ facile ex diæta ante dicta generantur, & omni fere mobilitate destituta gravitate sua premunt ac instar gravioris ponderis gravant ventriculi tunicas, ut inde tractu temporis sensus gravantis doloris eveniat, quod facile concipi potest, si dolores gravantes in aliis partibus excitatos perpendimus. Zwingerus in theatr. Med. Pr. hoc de dolore scribit, quod producatur ab obstructione tubolorum, a viscosa terrestrique materia oriunda, que ob molem sui ponderis vicinas fibrillas nerveas plus minus gravat. Qomodo cunque autem hic dolor ventriculi gravativus concipiatur, semper certum manebit, illum a cruditatibus viscidis, tenacibus & frigidis suam ducere originem.

§. 4. Primam vero pro generandis ejusmodi cruditatibus occasionem subpeditant errores in diæta, quando videlicet ex frequenti ciborum crudorum, coctu difficultiorum & frigidorum comestione ventriculi fermentum enervatur ac digestio destruitur, ut ex assumptis pituitosi humores producantur, qui successive magis tenaces reddit, glutinis instar

tu-

tunicis adhærent & consequenter sensum doloris gravanti inducunt. Multum quoque simul contribuit potus tenuis & aqueus, deficiensque motus corporis cum aliis diætæ erroribus.

§. 5. Non quidem statim minatur periculum, si tamdiutius durat, metuendum, ne successive inducatur cachexian & alias inde oriundæ afflictiones.

§. 6. Curatio bene peragetur, si diætæ cruditates viscidæ probe incidentur & adtenuantur atque ad meliorem evacuationem præparantur, quo facto sufficiens evacuatio erit instituenda, ac postea præcavendum, ne similes cruditates de novo generentur.

§. 7. Ad incidendas & fluxiles reddendas cruditates viscidas atque tenaces in ventriculo hærentes, inserviunt *Pulvis digestivus* a D. Præside in Coll. Pr. hoc in casu commendatus, qui constat ex rad. aron., tartar. vitriol. & salis absinth. partibus anaticis, cuius dimidia drachma cum gutta olei caryoph. M. & V. capiatur! simul autem iisdem diebus ante & post medridianis horis assumatur *Essentia terræ sol. tartar.* cum spir. salis ammon. parata, vel *Elixir. propriet. rhabarbar.* cum lixivio nitri antimoniasi extractum, vel *Essentia tartari solubilis* solutione in aqua cinamomi confecta.

§. 8. Prædictis per aliquot dies præmissis, evacuatio peragatur, quem in finem impendi possunt *Sal catharticum amarum* in decocto epithymi solutum, quod perbene operatur ac utilissime quatuor auroris propinatur; vel *infusum per epicrasis purgans*, ex plantis incidentibus, amaricantibus & purgantibus concinnandum & per octo dies matutinis horis capendum. Iisdem vero diebus bene simul versus noctem diætum elixir propr. rhabarb. exhibetur. Evacuandi fine etiam hic inservit *Pulvis solutivus Timæi*, semel atque iterum pro necessitate dandus.

§. 9. Tandem ad præcavendam viscidarum cruditatum novam generationem opem ferent sic dicta stomachica, quæ parti-

partibus suis subtilibus ac spirituosis liquorem gastricum redundat actuum tonumque ventriculi firmant, ut bona digestio inducatur, ex quibus tanquam praestantiora nominari merentur *Pulvis Stomachicus Timæ & Ludovici*; *Elaosaccharum stomachicum Baglivii*; *Essentia scorbutica Bonbekoe*, *corticis Winter.*, *caryophyllorum*, *carlinæ Staricij*, *volatileis oleosa*; *Ellixir propriet.* cum spiritu salis ammoniaci aromatico extractum; *Sal volat. oleos.* cum spir. cochlear. comp. mixtum; *Ellixir vitae Matth.* cum confect. alkerm. & ol. cinam., quæ potissima sunt ingredientia Aquæ istius, quam *Helvetius* vocat divinam ad resuscitandum calorem, *Electuarium juniperinum* seu *stomachale Paracels.*, quæ omnia ita sunt comparata, ut superius indigitatum effectum præstare valeant.

§. 10. Externis etiam ventriculo subveniri potest remedii, quæ non inutiliter adhibentur. Præcipuam laudem mereatur *Sacculus ex zingibere grosie contuso* cum interpassatione confectus, qui aqua Reg. Hung. conspersus per brevia intervalla regioni ventriculi adplicetur ac removeatur. *Emplastrum stomachale Crat.* per noctem eidem regioni imponi potest.

§. 11. Conveniens autem diæta simul est observanda, ut in viætu elegantur cibi facilis concoctionis, qui semper modice aromatizandi; in potu cerevisia lupulata bona notæ modice calefaciens, inter quas in his regionibus eminent Brunsuicensis, Riddagshusiensis, Garlebienfis. Motus corporis ambulatione matutinis horis institutus sit frequens. Alvus servetur aperta. Tristes animi afflictiones fugiantur.

## TH. IX.

§. 1. DOLOR VENTRICULI DISTENSIVVS seu INFLATIO VENTRICULI, est dolorifica istius extensio seu intumescientia, ab externo tactu & post sumtos cibos notabiliter aucta. Malum itaque præcipue hæret in ventriculo, sicuti etiam satis percipitur ab illis, qui isto sunt afficti.

§. 2. Signum Inflationis ventriculi est notabilis epigastrii intumescientia, quæ ita extenditur, ut scrobiculus cordis plane

plane elevatus adpareat, cum sensu doloris tensivi, & si ista regio digitis tangitur ac leniter premitur, doloris augmentum percipitur, quoties etiam cibus vel potus assumitur, cuius quidem exiguum adest desiderium, dolor illico exacerbatur, vestimenta quoque, quæ antea satis erant apta atque ampla, indui nequeunt ob incrementum doloris, nisi aperta vel multum ampliata gestentur; frequens adest conatus ad eructationem, quæ tamen ægre aut plane non succedit, & quamvis etiam aliquando eructetur, parum tamen levaminis inde sentitur, sed potius omnia in præcordiis repleta cum anxietate percipiuntur; nullus quoque flatus per inferiora eliminatur, et si alvus sit aperta, quæ tamen plerumque segnior esse solet.

§. 3. Causa proxima est flatum in ventriculo generatio, eorumdemque in illo ob utriusque orificii firmam constringionem incarceratio, qua ventriculus utpote pars membranacea magis magisque extenditur & simul externæ partes ad tolluntur, dum autem talis fibrarum nimia extensio vi quadam peragitatur, non aliter potest esse quam dolorifica, neque mirandum, quod ab externa pressione aut vestimentorum constringitione, cibique ac potus ingestione dolor augeatur. Nimia enim fibrarum extensio pertinet ad solutam unitatem quamvis insensibilem, ista autem gignit dolores, illosque eo magis, si externa pressione aut interna ingestione tensio & unitatis solutio augetur.

§. 4. Causa materialis nihil est aliud quam humor crassus in crassiore vapores seu flatus resolutus, si nunc orificia ventriculi constringuntur, ut flatus excerni nequeant, tunicae ventriculi necessario successive magis magisque extendi debent, quia humores viscidii in vapores resoluti majus expescunt spatium, ut ita epigastrica regio simul extendi & intumescere debeat. Ejusmodi autem humores in flatus resolutos pro causa materialis agnoscendos esse, ex curatione conclude re possumus, si enim incidentia cum evacuantibus & carminati-

nativis debito ordine adhibentur, plerumque brevi post epigastrii detumescentia ac doloris tensivi mitigatio imo plena abolitio sentitur.

§. 5. Verum observatur quandoque in praxi, quod licet curatio dicto modo fuerit administrata, ista ventriculi ac epigastrii dolorifica inflatio constans permaneat, quale quid etiam in tympanite observatur, vbi abdomen tympani instar extensum manet, quamvis evacuantia & carminativa satis frequenter ac satis diu sint propinata, tunc autem, causam materialem non in ipsa ventriculi cavitate, sed potius in istius fibris ac tubulis hærere, iudicari debet, si videlicet spastice extenduntur, & spasticam extensionem, nullis purgantibus nullisque carminativis coercibilem, servant.

§. 6. Per se quidem ventriculi inflatio parum periculis minatur, si vero diutius durat ac ita comparata est, ut medicamentis prudenter administratis non cedat, metus est, ne abeat, seu mutetur in veram tympanitem.

§. 7. In Curatione eadem observari potest methodus, quam in præced. Thes. §. 6. proposui, cui adhuc addi potest, quod eruçatio & vaporum seu flatuum discussio sit promovenda, unde tam præparantia quam evacuantia cum blandis carminativis utiliter exhibentur, ac postea stomachica & carminativa in usum vocantur.

§. 8. Præparandi & evacuandi fine adhiberi possunt, quæ Th. VIII. §. 7. & 8. sunt producta, additis vel simul exhibitis blandis carminativis non nimis calidis.

§. 9. Ad eructationem & flatuum discussionem peculiariter promovendam admodum proficia ac efficacia sunt

*Aqua abrotan.*, *chamom.*, *corf.*, *citr.*, *carminat.*, *temperata*  
*Spiritus carminat.*, *de tribus*, *salis ammon.*, *anis.*, *cochlear.*, *comp.*,  
*nitri* cum *sextuplo spir.*, *chamom.*, *dulcif.*, *volatilis oseofus.*

*Essentia chamom.*, *Rom.*, *comp.* D. *Præsidis*, *angelicæ comp.*,  
*carlinæ Staric.*, *carminativa B.*, *Wedel.*, *absinth.*, *comp.*, *Ejusd.*  
*abrotani*, *anisi stellati.*

Potio

*Potio carminativa Sylv.*

*Vinum cum melissa, satureja, mentha, pimpinella, fia  
ved. citri & cardamomo medicatum.*

§. 10. Ad praecavendam materiae flatulentae genera-  
tionem inserviunt partim jam dicta carminativa, partim sto-  
machica Th. VIII. §. 9. enumerata, quibus addi potest spiritus  
vitrioli martis dulcificatus, vel spiritus salis volat. dulcis in  
Colle&t. Leidenſ. descriptus.

§. 11. Externe quoque imponi possunt *Emplastrum sto-  
mach.* Crat. cum ol. dest. chamom. malaxatum, de baccis lau-  
ri, de cumino; *Balsamum stomachale Myns.* Lentilii; *Linimen-  
tum discutiens* ex ol. coēto chamom. & aneth. cum ol. dest.  
abrot., cumin., anis., absinth., chamom.; *Sacculus ex herbis*  
& seminibus carminativis in vino coquendus & calide adcli-  
candus. *Epithema ex spir. menth., chamom., vini camph.,*  
ol. dest. lauri & theriaca Andr.

§. 12. Si forsan dolorifica atque tensiva ventriculi infla-  
tio constanter perseveraret, licet curatio cum praediētis  
satis exacte esset administrata, atque sic judicari deberet, in-  
flationem istam esse mere spasmodicam, tunc unica salus  
quaerenda erit in antispasmodicis, ut fibra nimis tensa blan-  
de iterum relaxentur. Proderunt ergo in hoc casu bezoard.  
martiale, cinnabaris, castoreum, arc. dupl., Liquor C. C.  
succin., spir. salis ammon. martialis. essent. caſtor. & similia.

§. 13. Quando inflatio ventriculi symptomatica accedit  
adfectioni hypochondriacæ aut hysteriacæ, ad illarum curam  
principue est respiciendum, dum mitigato primario morbo  
symtoma sponte evanescere solet.

§. 14. Si inflatio non est constans sed tantum post pa-  
ustum exoritur & per unam vel alteram horam durat, bene  
interdum tollitur assumto uno vel altero cochleari elixirii  
citri, aut spiritus chamomillæ Rom., qui in ejusmodi casu  
omnibus aliis präferendus, dum inflationes variis de causis  
in utroque sexu oriundas cito ac efficaciter discutit, quod  
multiplici experientia notavit D. Præfes. D §. 15.

§. 15. Diæta interim, quantum fieri potest, sit exacta, hæc enim est dimidia cura, imo sine conveniente diæta in ejusmodi morbis frustra communiter inpenduntur omnia. Hic igitur iterum observandæ, quæ in Thes. præc. dicta.

## TH. X.

§. 1. INFLAMMATORIVS DOLOR seu dolor ventriculi ab istius inflammatione productus, ac proinde licet tantum sit symtoma inflammationis ventriculi, merito tamen hic loci adnecti potest, quoniam de potissimis ventriculi doloribus agere constitui. Est enim valde acutus dolor atque ardor in ventriculo perceptus, ab inflammatione istius excitatus: Non autem confundendus est cum cardialgia, a qua differt propter conjunctam febrem acutam.

§. 2. Causa hujus doloris est inflammatio ventriculi, seu stagnatio ac diffusio sanguinis per fibras ventriculi, ab obstruktione seu constrictione vasorum sanguineorum dependens, qua contingente, sanguis stagnat in vasis vel etiam extravasatur & coagulatur, & dum continuo novus adfluit, producitur in parte affecta extensio, tumor, dolor & ardor.

§. 3. Cognoscitur autem inflammatio ventriculi ex dicto dolore acuto cum vomititione, anxietate præcordiorum & conjuncta febre continua atque siti insigni, aliisque symptomatis febrilibus gravioribus, quibus saepè accedit sanguitus.

§. 4. Morbus hic recte vocatur peracutus & maxime periculosus, qui adflictis frequenter minatur interitum, nisi mature subveniatur.

§. 5. Curatio recte inchoatur ac bene peragitur, si omnem laborem impendimus, ut stagnatio sanguinis ac inde producta inflammatio una cum dolore, quam cito & quam bene fieri potest, resolvendo tollatur, hac enim sublata & dolor & febris cum omnibus reliquis symptomatis mitescunt.

§. 6. Dum

§. 6. Dum itaque dico, sanguinis stagnationem in vasis & fibris ventriculi factam esse resolvendam, merito queritur, an VENAE SECTIO stagnationem sanguinis resolvere valeat? Venæ Sectio communiter in omnibus inflammationibus tam internis quam externis a quamplurimis celebratissimis Præticis commendatur, atque sic etiam in ventriculi inflammatione administratur. Celebrandam vero illam esse statim in primo morbi principio, docet Nenterus Cap. de Inflammatione ventriculi sub methodo medendi, & in cautelis scribit, illam non conducere, nisi in primo principio celebretur. Si itaque transacto morbi principio venæsectio non amplius conductit, morbus tamen per sola medicamenta curari debet atque potest, sequitur quod venæsectio ad curationem inflammationis non sit necessaria. Sed esto ut primo statim principio administretur venæsectio, quomodo illa tollere poterit sanguinis stagnationem atque coagulationem? Dicunt quidem, quod sanguinis missione istius adfluxus ad partem affectam dematur aut imminuatur; si ita, quod sanguinis motus nonnihil imminuatur, interim tamen istius adfluxus ad partem affectam non impeditur, vasa enim sanguinem ventientia ad dictam partem semper manent eadem, & sanguinis fluxus per ista ad eandem semper continuatur, & nisi continuaretur, brevi emoritetur, dum itaque sanguis lege circulationis perpetuo vehitur ad partem affectam, licet etiam id parcus fiat, semper tamen cumulabitur & stagnatio major fiet, guttae enim a tergo adcedentes augent guttas. Præterea, quamvis portio massæ sanguinea per venæsectionem dematur, nonne exigua ista portio paucarum horarum spatio ex assumto potu restituitur, atque sic iterum copiosior fit ad partem affectam adfluxus? Quidquid autem demum de venæsectionis utilitate in curandis inflammationibus regeratur ac objicitur, nunquam tamen demonstrari & firmiter probari poterit, sanguinis stagnationem per venæsectionem posse resolvi, si igitur per istam stagnatio tolli nequit, temere

impeditur. Venæsecțio itaque non est aptum remedium ad resolvendum stagnantern atque coagulatum sanguinem, hinc quoque ad tollendam inflammationem ventriculi nihil valet. Inflammationes certe tam externæ quam internæ longe felicius, tantius atque certius absque venæsecțione, solis resolventibus internis ac externis personari possunt, quod optime docet Vulpinus in Hæmophobiæ Triumpho, quodque multiplici experientia compertum habet D. Præs., qui methodum curandi inflammationes sine venæsecțione in Coll. Pract. explicit, quam istius auditores secuti feliciter curarunt pleuritidem aliasque tam internas quam externas inflammations. Consideremus quælo sine præjudicio, per venæsecționem imminui vigorem sanguinis, perpendamus ab imminuto sanguinis vi-  
gore omnium facilissime exoriri stagnationes, sanguinemque stagnanter eo citius tendere ad suppurationem, quæ alias, motu sanguinis vegeto servato, haud ita facile succedit. Pleu-  
ritis enim, Hepatitis & reliqua inflammations, neglecta ve-  
næsecțione absque suppuratione perfecte curari possunt, si tempestive convenientia adhibentur remedia; administrata autem venæsecțione vix unquam sine suppuratione finiun-  
tur, & ibi saepè dispositio ad hecticam & phthsin relinquitur,  
si vitam servant ægroti.

§. 7. In sanguinis stagnantis & ad coagulationem incli-  
nantis resolutione unica atque vera inflammationis curatio  
est locata, hanc omnibus viribus suscipere & peragere decet  
Medicum per remedia tam intus quam extus adhibenda.

§. 8. Interne pro hac intentione inserviunt antimonium  
diaphoreticum nitrosum, mandib., vel ossa capitis lucii pisces, den-  
tes apri, lapides cancrorum, sanguis hirci, cinnabaris antimon., arc.  
dupl., nitrum antimon., camphora, pulvis antipleurit. Præfid.,  
temperans Nenter., potio antipleuritica Gockel., emulſio ſemin.  
card. mariæ, decoctum ſcabioſæ ac bellidis, quæ ſi debite inter ſe  
miſcentur ac justo tempore & ordine exhibentur, inflamma-  
tio ventriculi & vehemens istius dolor ex hac inflammatione  
pro-

proveniens intra paucos dies optime resolvi atque tolli poterit: Lindanus commendat decoctum hordei, cuius librae admiscet dimidiā unciam nitri antimoniatī, ac de hoc mixto sēpius unum vel alterum cochlear ingeri jubet, quod etiam meo iudicio non inefficax erit, si modo ex dictis resolventibus quædam debite interponantur. *Spiritus nitri dulcis* a nonnullis laudatur, sed observante D. Praefide dolores & anxietates auxit. *Opiata* plane exulent, quia ad majorem humorum stagnationem, coagulationem, suppurationem & necrosin disponunt. Ettmullerus quidem in primo principio una vel altera vice adsumendam commendat mixturam diaphoreticam, quæ est nonnihil opiate, sed circumspecte id fieri debet, consideratis probe omnibus circumstantiis.

§. 9. Externe multum prodest *Spiritus vini camphoratus*. *Crocatus* cum linteis calide regioni ventriculi applicatus. vel *Spir. salis ammon*, *aqua flor. sambuci*, dilutus, eodem modo adhibendus. *Sacculus ex plantis discutientibus* cum croco & camphora in aqua sambuci fervente calefactus frequentissime super imponatur.

§. 10. In diæta cibi vix admittuntur primis diebus, majorem enim creant molestiam, postea juscula hordeacea cum passulis sufficiunt. *Potus* sit decoctum rad. tarax. scorzon. & bardan. cum gelat. eboris. *Alvus* servetur aperta per clysteres emollientes ac parum nitratos, si quidem necessum videtur, si autem nimis lubrica evadit, abstineatur ab usu interno nitrosum, quæ alias admodum bona. *Transpiratio* semper sit modica & æqualis & regimen nimis calidum vitetur.

Atque hæc sunt, quæ de potissimum ventriculi dolorum causa & medela, quantum quidem in meis fuit viribus & rationi ac experientia conforme visum, pro specimine inaugurali consignare volui ac debui, quibus sic factis, dissertationis facio

F I N E M.

EOROL-

*COROLLARIA PRAESIDIS.*

I.

Variolæ non possunt neque debent adnumerari  
hæreditariis morbis.

2.

Inoculatio variolarum itaque temere instituitur, dum  
nec ratione demonstrari nec experientia confir-  
mari potest, illam esse certum remedium, ad a-  
vertendam novam variolarum eruptionem.

3.

Docuit potius experientia, juvenem, cui anno 1722.  
variolæ bene fuerunt inoculatæ ac exulceratæ,  
sequenti anno esse correptum variolis, iisdem-  
que extinctum.

4.

Variolæ optime curari possunt ut plurimi in vita con-  
serventur, si modo & morbi & symtomatum  
tempestiva ac conveniens instituitur curatio, &  
adæqvatum habetur regimen ægrotorum.

5.

Tot homines in Gallia variolis enecari, non quidem  
illarum inexistenti malignitati, sed potius incon-  
venienti iftarum tractationi esse adtribuendum,  
nullus dubito.







**ULB Halle**  
003 140 865


3



TA-FL







16. 15  
1724, 10

*DISSE*  
**DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA  
IN AVGVRALIS.  
DE  
DOLORIBVS  
VENTRICVLI.**

QVAM  
*EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA IVLIA*

PRAESIDE  
**DN. JOHANNE CAROLO SPIES**  
ARCHIATR. WOLFFENB. AC THERAPEVT. P.P.  
H. T. DECANO

*PRO GRADV DOCTORIS  
OMNIBVSQVE PRIVILEGIIS ET JVRIBVS  
IN ARTE MEDICA RITE  
CONSEQUENDIS  
IN JVLEO MAJORI  
D. II. MARTII A. MDCCXXIV.  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PVBLICE EXAMINANDAM ATQVE VENTILANDAM  
EXHIBET*

**HENRICVS TILLEMANVS STOCK,**  
RATISPONENSIS.

---

*HELMSTADII,  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII,  
ACAD. TYPOGR.*